



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica secunda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*Instructio meritoria.*

In Antecessum recitemus in honorem & amorem totius ætatis Christi 33. *Pater & Ave* cum Cantico : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Nostrum vivere sit continuum laudare Redemptorem.

## Dominica II. Quadragesimæ.

## EXHORTATIUNCULA I.

**A**gitur in hodierno Evangelio de beneficio vocationis. Sciat ergò filius ex ore Apostolici Doctoris, ipsum non vocatum esse in imunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu Domino Deo. *Et hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

*Instructio meritoria.*

Ut in statu suo totus ambulet purus, & sanctificatus, coram Sanctissimo recitet *Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu*: vel locò harum 15. *Pater & Ave* in venerationem 5. litterarum, quibus constat Nomen Jesu. In hoc Nomine salus.

II. Vi-

## II.

**V**idit Petrus transfiguratum Dominum, & gaudens clamavit: Domine! *bonum est, nos hic esse.* Quale, & quantum gaudium erit, videre faciem desideratam Domini, solis instar fulgentem? quanta lætitia gloriæ Conditoris assistere, & incircumscriptum lumen videre? fili! nondum cupimus dissolvi?

*Instructio meritoria.*

Sursum corda! elevemus ad nostram patriam. Hic permanentem non habemus. Ut eò crescant desideria, recitemus Psalmum: *Quam dilecta tabernacula.* Sitque quotidiana à manè tessera: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

## III.

**O**Jesu humilitatem! præcepit discipulis: *Nemini dixeritis visionem, quam vidistis.* Christus fugit vanam gloriam: Et ambiat homo? peccator? pulvis, & cinis?

*Instructio meritoria.*

Satisfaciamus pro nostra superbia, recitantes *Cursum Marianum*, & assuescimus

mus

mus cuilibet peracto operi virtutis sub-  
jungere verba Davidis : *Non nobis Do-  
mine! non nobis : Sed Nomini tuo da  
gloriam.* Pauca sunt : ne negligas.

## Dominica III. Quadragesimæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uid Magister Cœlestis docet in ho-  
dierno Evangelio? audiamus : ver-  
ba sunt ista : *Qui non colligit mecum,  
dispergit . Et qui non est mecum , con-  
tra me est.* En ! recollectionem com-  
mendat animi , sine qua nulla pax , nulla  
mentis tranquillitas. Fili ! quid egimus  
toties in oculis Dei distracti ? toties va-  
gabundi ?

### *Instructio meritoria.*

Claudamus oculos , & erit nobiscum  
Jesus. Deprecemur nostras distractio-  
nes & evagationes tempore orationis,  
meditationis toties admissas , & in satis-  
factionem *Rosarium dolorosum* clausis  
oculis , & expansis brachiis recitemus.  
State cogitationes ! Deus nos vocat.

II. Dæ-